



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Pervana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67721)

Deo parens, magna cum eorum, qui eum cognoscebant, approbatione in Sodalitatem adscitus est. Paucis autem diebus, postquam in veteranos relatus est, in morbum incidit, ex quo non conuuluit: & antequam animam exhalaret, iterum & saepius illud repetebat: Heu quantulo tempore meae congregationis bono sum fruitus.

AGARIAE Societatis munera obita sunt, vt in reliquis Collegijs. In Congregationibus luce pietas Christiana. Scholastici, qui adhuc vna schola continebantur, in duas distributi sunt, cum applausu ciuitatis. Mulier quaedam turpibus luxuriae cogitationibus adeo vexabatur, vt cuiusdam hominis quarendi causa domo exiret aliquoties, vt suis libidinibus satisfaceret. Hac per B. nostrum Patrem Ignatium, cui beneficium acceptum refert, ab omni molestia vindicata est.



P R O V I N C I A

P E R V A N A.

ALIT hae Prouincia ex nostris ter centum quadraginta quatuor, locis sexdecim: in his Collegia octo: Domus Probationis vna; Residentiae septem. In Collegio Limesi quatuor & nonaginta; In Martiniano nouē; In Cuscheni triginta quinque; In Potosino duodeuiginti; In Plateni tredecim; In Chilensi vndeuginti; In Quintensi quatuor & viginti. In domo Probationis, cui adiuncta Sedes S. Iacobi, triginta. In Residentia Insulensi nouem; In Panamana vndecim; Vno minus

minus in Tucumana; In S. Crucis octo; In Cartaginensi septem; In Noui Regni quatuor; quibus superaddendus qui Prouincialis vices gerit, cum duobus è nostris. Admissi ad nos viginti, amissi septem; numeratis ijs, qui in nauigatione vitam finierunt.

COLLEGIVM LI- MENSE.

SO C I E T A T I S in salutem proximorum ministeria egregiè, vt aliàs, præstita: quia verò præcipua opera congregationibus sex promouendis impenditur, ab illarũ profectu initium faciam. Sodalitas igitur Sacerdotum non modò Sodalium numero, verum etiam ardore spiritus, præstandis de more officijs quibus dant operam, accreuit. Ciuium Sodalitas componendis ciuitatis moribus operam nauat, eoque progressa est, vt cum ante nimia esset licentia, iam timore Domini maxime contineantur. Hi charitatis opera, erga iacentes in Nosodochio ægros, strenuè nauant, diebus potissimum Virgini sacris, quibus vnâ omnes conuiuium lautè paratum, primoribus ciuitatis ministrantibus, ægris præbent. Sanctos, à quibus opem implorent, summo studio sortiuntur; eo præsertim die, qui cunctis Sanctis sacer est, tot confluxere, vt è nostris quinque eorum distributio negotium dederit: eo die distributi mille: interfuere ex Regio senatu quinque, quorum singuli pro vita functis, felicitatè que expectantibus, polliciti se iussuros sexies sacrosanctum sacrificium offerri. Expectationis Virginis festum non
 Q minori

minori quàm superioribus annis celebritate exornatum. Scholasticorum cœtus non minores in virtute progressus fecit: pijs ac sanctis meditationibus dant operam, eorumque non pauci sese cœnobijs dedunt. Puerorum Sodalitium curam omnem in addiscenda doctrina Christiana strenuè ponunt; ita in ea prouecti, vt vel inuerso maxime orationis ordine interrogati, scitè respondeant labantur nunquam. Ex Indorum Æthiopumque Sodalitatibus, quod rudes hebetèsque sint, maior labor, minor fructus, nonnullus tamen; nec prætermittendus qui ex aduenis Indis (eorum multitudine maxima) ignaris prorsus catecheseos decerpitur. Totius anteactę vitę confessiones adeo multę vt vnus è nostris, trecentis confitentibus aures deriderit. Nobilis Indus ictum cum dæmone fœdus cui diuinum præbebat cultum, concionibus nostrorum auditis, id vitium acriter exprobrantibus superatis difficultatibus plurimis, animo demum per confessionem expiato, diremit. Femina corruptissimis moribus, quęque ob egregiam formam multis ruinę occasio extiterat, in hac ciuitate, à viro nobili, posthabita clari nominis fama, domi continebatur: hæc cum sæpius à quodam è nostris, vt confiteretur inuitata, annuisset hac lege, vt quoties ad concionem accederet, toties pro ipsius salute sacrosanctum sacrificium offerret; accessit, nec frustra: ita namque concionibus permota est, vt contractas animi labes, multa doloris significatione, per confessionem absterlerit, honestaque conquisita domo, non amplius ad turpissimum consortium redierit. Ad necem quoque animo subeundam comparati multi: In his homo Hispanus, lata capitis sententia, per mensem integrum

integrum acri cilicio constrictus, verberibusque singulis noctibus cruciato corpore, excitatis miseratione spectantium animis, funestoque ex spectaculo lacrymantibus, hilari vultu, grataque animi significatione lictorem ipsum complexus, promissisque apud Deum pro beneficio precibus, supplicium subiit. Iuuant nostri in nosocomiis ægros, non sine fructu. Iacebat quidam flagitiosis moribus, nec vlla ratione adduci poterat, vt animi labes confessione deleret; ab eo cum nihil vnus è nostris suadendo extorquere possset, ad dominum confugit, orat pro mollienda hominis duritia, nec frustra fuscæ preces; nondum enim Pater finierat, cum ille diuinitus impulsus acciri iubet Patrem: ab ineunte ætate commissa aperit, sacroque oleo perunctus, non multo post obiit. Indorum nosocomium frequentant nostri maiori fructu: hic fere omnes torius antea vitæ peccata, (quæ gens suo pte ingenio timida, nisi in extremum deducta discriminè, cælare solet) manifestant. Indus quidam, quem non manifestum vitæ periculum, vt ritè confiteretur, commouerat, dum alium efflare animam videt, efficaciter permotus, lamentari sese iam supplicij addictum æternis, id sua multa flagitia postulare; & proposita à Patre Dei in peccatores benignitate, asserere nullam sibi ad salutem superesse viam, non posse se sacro lustrari fonte, cum præ nimia imbecillitate non valeret ad templum accedere; existimabat enim aliter baptizari non posse. Demum à Patre rectè instructus, baptisatusque naturæ concessit. Alter à dæmone delusus, cuius idolo, quod secum afferebat, cultum dabat, cum animaduerneret ab eo sibi multa verba data, deque vita, quam ille fel-

cem sibi obsequentibus promiserat periclitari
 idolum ex nostris cuidam confringendum, com-
 burendumque tradidit. Missi ex nostris aliquor ad
 Pagum Icensem, collectique in ipso itinere fru-
 ctus: nec sine diuina prouidentia factum est, vt vbi
 nostri traijciendo flumini, vectores per densa ve-
 mora conquirerent, Indos duos, totidemq; femi-
 nas, ibi iam multos annos, magna christianarum
 rerum ignorantia commorantes, inuenirent, in-
 tuerentque, & à peccatis expiarent. Nec minoris
 reliquo itineris fructus, & vero in ipso pago qua-
 to cum fœnore laboratum sit, longū esset recen-
 re. Conciones habitæ complures, pari concursu
 atque fructu; superstitiones multæ dissipatæ; con-
 fessiones totius vitæ auditæ complures; à turpi
 consortio seiuncti multi; bene instituti ad virtu-
 tem fere omnes. Viri duo Ecclesiastici, non li-
 ne magno reliquorum nocumento dissidentes,
 ita reconciliati, vt vter alterius pedes oscularetur,
 noua & pia exurgeret contentio. Itum etiam ad
 Callao (hoc nomen portui est) à duobus fratribus
 qui cum octauo quoque die pedibus eò iter fa-
 ciant, catechismum in maiori templo doceant,
 indèq; remis addictos instruant, maxime moueri
 spectantium animos. Vespere autè vndique à no-
 stris tã Hispanis, quã Æthiopibus ad forū coactis
 catechismo exposito, concionèque habita, vni-
 omnes, Prætoribus comitantibus, templum pe-
 tunt; ibique vsque ad ineuntem noctem non pau-
 ci confitentur. Maior vero fructus quadragesimæ
 tempore, vbi tùm hominibus, tùm maximè Deo
 conciliantur multi. E vita discessit frater noster
 Martinus Garay, qui cum Quipuscoa oriundus,
 ætatis sexaginta, Societatis triginta compleisset
 annos,

annos, semperque religiosi, ac integri viri, summa alacritate parendo; procuranda, quoad posset, animorum salute; doloribus, quibus maxime laborabat, perferendis specimen dedisset; maturus caelo, exilium istud cum illa felici patria commutavit. Quia ferè omnes qui ex Hispania venere, in hoc Collegio studiis; absolvendis versantur, nõ erit abs re aliquid de eorum navigatione breuiter attingere. Cũ igitur è portu San Lucar soluere nostri decreuissent, non sine diuino consilio, integrum ferè mensem, ad multorum animorum salute retardati sunt; ibi namq; officia multa à nostris erga pauperes variè præstita: audita confessiones per multos dies, magna cũ doloris significatione confitentium. Postquam autem è portu soluere, tum verbo, tum maximè exemplo, proximorum saluti consultum est. Nam distributis temporibus, muneribusque religiosæ obseruantia, litterarijsque exercitationibus tanto spiritus, ardore institerunt; vt non esset, cur ad animorum profectum Collegium aliquod, aut probationis domus requireretur. In hac porro navigatione amissi è nostris duo, Pater Antonius singulari pietate vir, & frater Petrus Ochoa; hic quinque menses nõ amplius vixit in Societate, eius tamen virtutis progressus, haud exigui: vt nostris se adiungeret, ingentes vicit difficultates, nec oblata facultate, vt ad remota regna discessurus, matrè ante salutaret, vti voluit. Iam iam moriturus, habita facultate, tribus se Deo votis in Societate dicauit. Iniuit cum humani generis hoste in illo extremo discrimine, vt ex vultu, motibusque coniectabamus, graue certamen; cuius felicitis exitus argumento est, quod Christum Dominum crucem humeris

Q;

portan-

portantē, patrēque nostrum multa martyrum corona ipsum adiuuantem, vidit. Frater vero noster Claudius Colon, cum de eius salute actum esset a medicis, precibus Patris nostri Ignatii, quem ipse suppliciter inuocauit, ut credi par est, incolumis euasit. Nec illud praetermittendum est, nos quinque a multis periculis diuino auxilio liberatos. In Brati flumine phaselus nostros continebat, cum subito naus potentissimo vento acta, illum a longior obrutura inuadit, cumque ad nos rectam impetum faceret, iam iam accessura, cunctis consternato animo, incolumi phaselo, rostro tantum confrecto, obliqua transijt. Nec a minori periculo in Panamensi portu expediti nostri, quippe ibi saeuissima suborta tempestate, ventisque a diuersis partibus unam ruentibus pontumque turbantibus naus circumagebatur tanto discrimine, ut nauis amisso clauo, salutis spem omnem amitterent: sed diuina benignitas eo nos periculo absoluit, quo non multo ante, phaselus cum quinque & viginti hominibus naufragium fecerat. Iam in hoc etiam diuinam prouidentiam cernere licet; quidam enim ex nostris rate uectus littus petebat, ecce cetus, immane maris monstrum comparere subito, a fronteque ratis submersus, emergit ad tegum, utque timorem pavidis iam spectaculo animis maiorem incuteret, versus ratem iterum submersus, tam prope emerit, ut excitatis undis retores consperferit, quodque mirum est, cum mergi soleant in corpus procumbentes, ne ratem obrueret, recto corpore submersus est.

D O M V S P R O B A -
T I O N I S E T S E D E S
S . I A C O B I .

IN hac Probationis domo flagrans virtutum amor, summa obseruantia, mira submissio, eaque abiectissimis quibusque conquirendis amplectendisque significata; id vero præ alijs maxime student, præstantque, vt animi cogitationes singulas Superiori aperiant, qua vna re mirum est, quantum omnes in virtute proficiant.

H V I C probationis domui annexa est sedes sancti Iacobi, in qua idem qui semper fructus, eoque nunc maior, quo Prorex maiori diligentia dispersos, ac vagos Indos ad hanc sedem reduxit; Quidam cum ad vitandam ebrietatem maxime conducere à Patre audiret, vt coram virgine matre, ab hoc genere potus, per dies aliquot abstinendum proponeret; ita se expertus est ad id præstandum paratum, vt deinceps magno, ob præteritam ebrietatem, pudore, abstinendum omnino per totum vitæ cursum decreuerit. Priuatæ cohortationes plurimum apud Indos valent. Ex ijs vnus à Patre componendæ vitæ priuatim admonitus, pedetentim recognitis antea vitæ peccatis, ita id præstitit, vt per mensem integrum peccatis in memoriam reuocatis, cruciato verberibus corpore, summa integritate confessus fuerit. Alter salutis æternæ prorsus oblitus, sæpiusque diuinis reluctans impulsibus, dum de futuro iudicio concionem audit, seque nocte proxima ad illud adduci existimat, æternif-

Q 4

que

que ignibus addici, totus in lacrymas effusus, dubia luce domum nostram petit, nihilque præfatus, in genua procumbit, grauiora peccata aperit, verba gemitibus intercludentibus: dein ad templum redit, sese acriter flagello verberat, rursus ad Patrem reuertitur, inchoatam confessionem profequitur, tandemque absoluitur. Innumeris peccatis, quæ bacchanalibus admitti solent, supplicationibus à nostris, qua potuit celebritate, decretis, aditus interclusus: ad eas sexcenti amplius Indi conuenerunt, pietatemque ac modestiam non in templo tantum, sed & foris retinuerunt.

E Collegio martiniano sedecim in varias religiones admissi, ex his in nostram Societatem quatuor.

C O L L E G I V M C V S - C H E N S E .

AD A V E R V S in hoc domicilio tum scholasticorum, tum facultatum numerus: addita enim classis, ubi ex Seminario multi, ex nostris aliquot Philosophiam discunt; Altera rursus in qua sermonem docentur tam domestici, quam externi sacerdotes. Sodalitas immaculatae Virginis Conceptioni consecrata, in ea colenda imprimis pollet: eius solemne festum, quo possunt, ornatu celebrant. Congregatio sacerdotum tribus iam annis in hoc Collegio instituta, nouum coepit incrementum; numerantur in ea centum; præluceat alijs Senatus Ecclesiasticus: ad id se voto obstringunt, vt pro singulis vita functis Sodalibus binas missas quisque offerat. Ciuium Sodalitatis, sanandis huius ciuitatis moribus institute, profectus sanè

nè maximus ; cum antè corruptis essent moribus, & à rebus diuinis maximè auersi, nunc præclaris imbuti, magnum præbent reliquis ad virtutem documentum. Vigent in hac ciuitate Societatis in Indos officia, & ministeria, tum quia eorum magna multitudo, tum quia genere nobiles, quippe qui à clarissima Ingarum stirpe originem trahunt. Continet Sodales mille, conatus eorum accreuit concessis à summo Pontifice nouissimè iubilæis, & Episcopi in eos, quorum in numero esse, vocarique vnus ex Sodalibus dignatus est, benignitate. Quatuor dies festos percelebrant singulis annis, Circumcisi pueri, Assumptæ Virginis, Resurgentis Domini, cunctorum Sanctorum. Multitudo eorum, qui hisce diebus ad sacramentum accedunt, efficit, vt quindecim dies confessionibus audiendis præmittantur. Vbi verò sacro cibo refecti, sacrumque peractum, conuocatos vndique egenos Indos, parato cibo satis superque reficiunt, idque præstant in septem tribus distributi, dominicis quibusque diebus anni. Cum duo senes Indi sub matrimonij prætextu, malè se feminis sociatos aperuissent, vero matrimonio sociati sunt. Vir vnus, qui debitum Deo cultum, soli, lunæ, stellisque præbuerat multos iam annos, & femina item vna, ad id vitium à fratre pertracta, ad verum Dei cultum confessione peracta, multoque cum gemitu, doloréque, de superstitione contracta traducti sunt. Duobus è nostris, per loca huic ciuitati vicina excurrentibus, occurrit femina, nocte præterita per somnium grauitè reprehensa, quod sacrificium dæmonibus obtulisset, ob idque crimen lepra infecta est, à quâ, nisi vni è nostris confiteretur, non erat expurganda, vt ipsa sibi

bi

bi per somnium dictum affirmabat; auditæque confessione, animi perniciosior lepra ablata est; an vero etiam corporis, cum nostri illico discessissent, sciri non potuit. Missus vnus è nostris, Episcopo suadente, in Prouinciam Auancay ad populum, cui nomen Curahuasi, stirpitùs euulsurus superstitiones multas, quæ latè sese, vt compertum erat, in agro inculto illo fundebant: eæque omnes sedula Patris cura, strenue laborantis, pluribus ingenti cum animi dolore per confessionem sanatis, stirpitus euulsæ sunt. Missi quoque è nostris aliquot Guamangã. Guamanga vero est à primis huius regni exploratoribus condita, Limã Cuscùmque interiacens, parique ab vtraque discrimine distans ob cæli miram temperiem, tellurisque fecunditatem (in qua nullum ex fructibus, quos tellus Hispana fert, desideres) ob finitimas Indorum Prouincias maximi ab eius incolis æstimatur. Sed enim id vnum videbantur requirere, habebantque iam pridem in optatis ciues, vt nostræ Societatis Collegium instituerent; id tamen à nostris multas ob causas in aliud tempus dilatum. Ceterum urgente Prorege, Cuschensi Episcopo, ipsisque ciuibus, vt saltem sacerdotes è nostris mitterentur missus est Lima P. Petrus à Castillo; ex hac ciuitate, P. Gregorius à Cisneros cum alio fratre. Fructus vero missionis cumulatissimè spectantium desiderijs respondit. Excepti nostri perhumanissimè à ciuibus, ab Indis; nullum officiorum genus, quod in salutem proximorum societas exercere assolet, prætermissum. Confessionum vero tanta frequentia, vt à danda confitentibus aure, vacare haud licuerit. Femina diù à dæmone cruciata eamque suffocare nitenti, vbi sacro fonte lustratur,

tur, nondum enim illi salutaris aqua labes absterferat, liberata est. Nec minor extra ciuitatem definitimis locis collectus fructus; in illis ingens ad conciones sponte venientium concursus; confessiones ab adolescentia repetitæ, auditæ quamplurimæ magnique momenti : cuiusdam præcipuè, qui multis peccandi autor & occasio extiterat, quem ita flagitiorum pœnituit, vt qui antè peccati, nunc conuersionis ad Deum, bonorùmque operum auctor extiterit. Hosce fructus ex nuper exculto agro carpebant nostri, cum è superiorum præscripto, cunctis reclamantibus, deque discessu Patrum lachrymantibus, suum quisque Collegium repetunt : non Patrum discessus amorem, non accepti beneficij memoriam diminuit. Polliciti Collegio condendo, inter omnes, aureorum viginti millia. Ceterum eam Prouinciam Cuschenfis Episcopus sibi desumpsit, dudùmque de condendo ibi, cum necessario vectigali Collegio cogitat, speramúsque factum iri magno proximorum fructu.

COLLEGIUM POTOSINVM.

IN hoc Collegio in rebus litterarijs pauci fructus; quippe cum parentes liberique auro effodiendo, non litteris studeant. Ceterum vnus è nostris quadraginta scholasticos imbuit litteris & virtute. Ministeria nostra præcipuè vigent erga Hispanos, quorum vndique multitudinem magnam huc compulit auri sacra fames. Eò intenti nostri, vt à mille laqueis quibus hominum conscientia

scientiæ hic maximè ob fænerationes implican-
 tur, mentes liberentur, vt confessiones audiant,
 carceribus inclusos adiuuent, præcipue in qua-
 dragesima, vbi concursus magni, magni fru-
 ctus. Referam è multis aliquos singulares. Vir
 grauissimis oppressus peccatis, quæ per qua-
 draginta annos inter hæreticos Maurósque con-
 traxerat, diuini verbi fulmine ictus, commissis ge-
 mitibus lacrymis, ad pedes confessarij lethale vi-
 rus euomuit, séque, ne in pristina peccata relabe-
 retur, Religioni dicauit. Alter, amissa per lu-
 dum aleatorium pecunia, sese dæmoni, vt æ-
 gestatem vitaret, tradiderat; cùmque dein-
 cept multa ludendo lucra fecisset, Deique im-
 memot, peccata peccatis adiiciens, in summam
 desperationem venisset, accessit ad vnum ex no-
 stris, nec prius ab eo discessit, quàm per con-
 fessionem sanaretur. Id vero quod referam,
 est sane singulare. Inuadit hominem vlciscen-
 dæ iniuriæ cupido; tres, à quibus iniuriam ac-
 ceperat, Indum habitu vestibúsque mentitus
 peragrata Peruana Prouincia, Regnoque Chi-
 lensi, conquirat: inuentos interficit tanta fe-
 ritate, vt vnus recens auulsum cor, ipsóque ca-
 lore palpitans (exhorret vel sola memoria a-
 nimus) dentibus dilaceratum, deuorarit. Sed,
 quæ Dei est benignitas, diuinitùs ad pœniten-
 dum impellitur, tribus diebus ab omni cibo
 abstinet, tandem per confessionem peccato-
 rum vinculis, ac carcere soluitur. Iam verò in
 Sodalitatem Hispanorum impensus cultus, gau-
 det fructuum vbertate; abstinent ludis pro-
 fanis; iuramenta de medio ablata; maxima in
 eis cura ne Deum grauitè offendant: ver-
 santur

fanturque in pijs operibus summa cum laude. Ex Indico autem agro qui late sese fundit, (sunt enim hic, si aduenas numeremus, centum Indorum millia) latissimos capimus fructus; hic per totum annum, ab audiendis confitentibus, nulla quies. Alijs vero præluet Sodalitas pueri I E S V, omni exercitatione virtutum. Ex his femina, cum ob elegantem formam à multis sollicitata, cogeretur manere domi, ne illis existeret peccandi occasio: à Domino precibus impetrauit, vt graui morbo oppressa, acribusque doloribus cruciata, ita deformis redderetur, vt posset, omnis secura periculi, templum adire. Alia quædam à viro potentissimo multis tentata vijs, quâ lenocinijs, quâ minis, quâ etiam ingenti pecunia oblata, respondit, se nudam sepultum iri, satiúsque sibi esse, vt multi sancti fecere, ob defendendam castitatem quacunque pepti, quam turpitudine animum, ad similitudinem Dei effectû, inquinare. Iam de felici fratris nostri Michaëlis Ignatij ad patriam discessu. Is Pliego oriundus, (id nomen populo est) quinque vixit & quinquaginta annos, horum septem in Societate; eius, antequam se nobis adderet, in sæculo fama clara, additum vero clarior consecuta est. Multos fecit in omni genere virtutum progressus, magna in Deum Religio, in sacerdotes obseruantia, in proximos charitas, doloribus perferendis patientia mira.

C O L L E

C O L L E G I V M P A -
C E N S E .

MIGRAVIT è vita Antonius Rodriguez, compleverat ætatis trigessimum, Societatis duodecimum annum. Enituit in ipso amor in Societatem singularis, eius indefessus animus labori pepercit nulli, ingentemq; in Tucumana missione pertulit; ex ea vero, inueterata febris, huc cum rediisset, per nouem menses singulare patientiæ specimen dedit, tam flagrans eius fuit precationis studium, vt in eo multum temporis insumperit; suum ipse obitum, vt solent homines res sibi caras, exoptabat, eumque à Domino felicem affectus est. Operarij huius Collegij iustis de causis pauci, sed in eis duplicatus spiritus; ita se cum Indis gerunt, vt ipsi à nostris nullum officium desiderent, & nos vicissim parentum loco habeant; nec ex hoc modò, sed ex remotis locis domum nostram concurritur confessionis causa, tanto numero, vt è nostris duo, à danda confitentibus aures, cessent nunquam. Cum mirum in modum ab omni crimine caueant, ebrietatem vsque adeo fugiunt, vt, vel accedere ad loca, vbi dominari solet ebrietas, sit illis religioni. In alijs vero officijs Societatis idem cursus, idem tenor. Sed qui ex missionibus hoc anno perceptus est fructus, is est sane maximus; itum namque ad Indos finitimos, qui quoniam à Parochis longe aberant, ope nostra maxime indigebant: eam vero experti sùt, quâ data vniuersæ vitæ peccata detegentibus aures, quâ ipsos ferè omnes christianis rudimentis imbuendo,

imbuendo, id verò hoc anno præcipuum consecuti sumus, vt cum antè per summam difficultatem instituendi Æthiopes ad templum adducerentur, modo sponte veniant, instituantur, sacramenta frequentent. Res familiares adauctæ plurimum: quæ ad templum, sericis peristromatibus, alijsque ornamentis, quæ aureis mille sexcentis steterunt: quæ ad domicilium, nouis extructis cubiculis, itèmq; coemptis ædibus precio quatuor millium & octingentorum aureorum.

COLLEGIVM PLATENSE.

IN hac ciuitate nostrorum auctoritas cum apud ciues, tum apud Senatum regium plurimum valet. Atque è Senatu quidem, vnus potissimè, cum alijs in rebus, tum maximè moribundus ostendit; quippe qui se totum resque suas, è nostris vni crediderit: cumque molesti ei essent, qui visendi gratia ipsum adibant, adesse sibi nostros vehementer optabat. Sacerdos quidam cum falsò criminaretur fratri cuidam è nostris, ipsius nomine aureorum copiam magnam esse solutam, vnde nihil ad ipsum rediisset, tantum simplex fratris responsum id negantis apud Senatum valuit, vt rebenè examinata & excussa, comperta veritate, Sacerdos vehementer increpitus, frater vero noster liber euaserit. Illud vero nostrorum in vrbe auctoritatem maxime commendat. Sacerdos literatus ita angebatur animo, vt ipse sibi sensim confici videretur; mirum est quantam experitur difficultatem in salutaris crucis insigni venerando, cer-
nere

nere erat in illo, vbi hoc præstabat, incompósitos motus, vultusque toruos; ad hæc occurrere in Deum multa probra, ignominia, superstitiones, videri sibi illis omnibus assentiri: ceterum rem totam ex aliorum consilio, ad sacros quæitores detulit, ij. verò quæ sunt prudentia, id quod res ipsa erat rati, causam ad nostros remittunt; vbi verò ad nostros accessit, vniuersæque vitæ peccata nostris vni aperuit, eius instructus consilijs sanitati restitutus est. Hoc est in Sodalitate singulare, vt compedibus addictis, erogata ostiatim ad id pecunia, singulis diebus cibum præbeant; quæ cura, quàm grata Deo est, tam faxit ipse, vt sit perennis. Officia nostra in Indos, è quibus semper maior fructus, eadem extitere. Id verò potissimum curatum est à nostris, quod ad hunc annum non erat in vsu, vt ad Eucharistiæ sacramentum comparentur ægri, item vt Indi catechismum ediscant sermone patrio, nam cùm antehac satis haberent eum scire Hispanicè, fiebat vt verba recitantes, res ipsas ignorarent: ex Indorum vero Societate vberior fructus, quibus non satis est, si ipsi omnia pietatis opera præsent, sed vltra, alios ad ea traducunt, eorùmque diligentia adulti complures baptizati sunt. Celebratum festum magna solemnitate, tam splendidum lautumque conuiuium in carcerem missis exhibitum, vt matrona nobilis mirata, manantibus madefacta lacrymis, dixerit: quod Indis ab Hispanis deberet, id Hispanis ab Indis exhiberi pietatis, ac miserationis documentum. Eo verò die sacro, quod est ineuntis anni felix exordium, id etiam in Nosodochio maxima liberalitate præstitum est.

COLLE-

COLLEGIUM CHI- LENSE.

F Nostris obiit vnus, Sebastianus Garcia; vixit septuaginta annos, in Societate quinque. Insignis eius cum in omnes, tum in sacros ordines pietas ac liberalitas, noctæ videntur præmium Societatis ingressum. Enitebar in illo cum in Sanctos, tum in Deum pietas; nec de diuinis rebus colloquia sine largis lacrymarum imbribus excipiebat, nec dato signo ad prandium, cibum sine labentibus lacrymis degustabat. Iam vero in B. Virginem mirus pietatis ardor: non nisi madentibus oculis eius Rosarium decurrebat, ex multisque ab ea in ipsum beneficijs, illud versabatur in ore, sedebat in corde; ipsum scilicet cum parua Virginis effigie, è naufragio, in quo sua nauis cum rebus omnibus familiaribus conflagrarat, euasisse. Hanc effigiem seruauit multos annos; in ea sibi perfugium & solatium; cum ipsa periucunda miscebat in cellâ colloquia. Antè actæ vitæ peccata, quibus abluendis iugiter ex oculis erumpentibus lacrymarum fontes, mirum est quanto prosequeretur odio: vbi vero è vita discessit, nihil tale nostris cogitantibus, ad funera soluenda sacri ordines, haud accepti ab eo beneficij immemores, sacrificiū missæ pro ipso oblaturi conuenerunt. Templum nixum infirmis fundamentis, nostrorum munerum ingenti incommodo corruit. Ceterum huic malo itum obuiam vtcunque; dum enim templum ex instituto exædificatur, constructæ sunt ædes Indis, quibus à nostris seiuncti sunt.

R. interior

interior tamen domus, hoc est, quæ ad animi profectum, maxime adaucta: accensi nostri celestibus meditationibus in se, & in proximos. Societas Hispanorum ea fructus ubertate gaudet, quæ semper: in hanc ut admittantur, huc multi ex locis remotis migrant; eius vero laudibus omnia personant. Dux quidam obuiam militi, huc iter facienti factus; Inuideo tibi, inquit; inuenies ibi congregationem, quam liber Angelorum potius, quam hominum appellare. Multi qui eam initio minoris duxerant, non Dei sed hominum inuentum iudicantes, mutata postmodum sententia, eidem magna animi summissione nomen dedere. Post eam vero institutam, vno ore, viri feminaeque, hæc alios suos viros esse, illi alios mores ciuitatis confitentur; nullus coram Sodalibus ausit iurare, nullus proximo detrahere, quorum etiam auctoritate dissidia, inimicitiaque finem capiunt. Inueterata consuetudo ludendi, ex qua, tanquam è quodam malorum seminario, permulta vitia nascuntur, concionibus ad eam euertendam institutis, dissipata est. Exemplaribus hebdomadæ diebus, primis se intendentibus tenebris; referri solent, ad quæ non modò è ciuitate, sed ex finitimis locis plurimi, magnum ex illis fructum percipi confirmantes, concurrunt. Hic Indi in extrema sunt rerum Christianarum ignoratione: laboribus in ipsis ad pietatem excolendis, respondet eorum aduersus nos amor; non nisi nostris peccata aperiunt, eosque vicissim nostris fructus referunt, quos è paucis hic subiunctis, æstimare fas erit. Mulier cum sacro perambulabatur oleo, affirmavit, vbi Pater ingressus esset, illico demones effugisse, pauloque post vita defuncta

functa est. Cum ab altera impetrasset, vt à turpitudine discederet, visa est illi repente moles feroci apro simillima, nebulis obducta, è femina exire; cumque præ metu numine inuocato, sese Pater reciperet, ipsa admonitu spectri, contractas labes confessione deterfit. Tres Sacerdotes è nostris, è ciuitate egressi, moribundum senem inueniunt, ille vero ad confessionem inductus atque instructus, ne à dæmone, qui sibi sapius occurrebat, turbaretur, postulat insigne crucis, quo accepto, à dæmone liberatus, peccata à teneris repetita confessus, occubuit. Tres pueri à nostris ad baptismum adducti, abnuentes quisque parentes ita perpulerunt ad baptismum, vt quod nostri non potuerant, ipsi consequuti sint. Tredecim annorum odium, cum nullius hortatu precibusue Indus quidam deponere voluisset, cuidam è nostris manus dedit, affirmans, id ne vniuersi quidem precibus se deponere, præterquam nostris, potuisse. Tantus eorum erga nos amor. Femina nullis suasionibus, vt confiteretur locum dabat; eam Pater arte vsus, feminam alteram catechesis gratiam vocat, iubet vicissim ad interrogata respondere: eam instruit, omnia audiente ægra femina; nec frustra, diuinitus enim commota ritè confessa est. Post multas irritas confessiones, moribundus quidam sacrū Christi corpus sumpserat, illico Patrem accersiri iubet, fateturque vim sibi diuinitus datā, postquam Sacramentum recepisset, vt declararet se in numero Christianorum non esse: quod vbi aperuit, ritèque baptizatus est, animam egit. Magna auctoritate vir, dum concionantem Patrem de sanctæ Catharinæ laudibus audit, advertitque huius virginis precibus, vexatos animos

à molestijs liberari, ipse varijs cogitationibus cruciatus intrinsecùs, ad eam confugit, ab eoque die ab acribus cogitationum aculeis liberatus est. Alius maiori quàm prior autoritate, dum forte quidam è nostris de diuinis rebus colloquia miler, ita succensus est, vt inueteratum odium, quo alterum ob mortem fratri illatam insectabatur, non modò posuerit, sed etiam pollicitus fuerit, se à vliquis fratribus idem impetraturum.

COLLEGIVM ARE- QVIPENSE.

FVIT Societas nostra in hac olim lætissima modo funesta ciuitate plurimi habita, cum semper, tum maximè hoc luctuoso tempore, qui in nostris oppressi omnes, & suorum laborum solatium, & casus subsidium experti sunt. Ceterum in tanto laborum turbine munera nostra, non pristinum illud robur, solitumque nitorem cursum tamen tenuerunt. Hispanis data operæ continuis concionibus in templo, in foro. Congregatio verò in tanta rerum iactura vnicum etiam afflictorum asylum, ibi deprecationes supplicationesque placando, vt signa portendebant, intoto numini. Societatis huius Sodales nullo pietatis genere ceteris cedunt; cum ipsa præclaratidole, tum maxime laborum vi, quæ nescio quaratione mentes ad Deum compellit, acres stimulos adhibente. Indorum Sodalitas semper in hac ciuitate claruit, nec defloruit pietas, quamuis inopia maicij (quo tanquam pane vtuntur, estque præcipuum illorum alimentum) numerus decreuit.

nit. Nullum à paucis, qui supersunt, pietatis specimen desideres. Iam verò illud in quo reliquæ Societates curam locant, diligenterq; præstant, cura nimirum vitandi læthale crimen, floret hic maxime, quod si quando, ut fert humana fragilitas, labuntur, mirum est quantum eos pœniteat. In da quædam, ubi sese læthali labe fœdatam animaduertit, tam graui dolore correpta est, ut domi conclusa, cilicij horridis cruciatum corpus acriter verberauerit, abstinuissetque ab omni cibo, nisi tenero infanti, quem ipsa nutriebat, defecturum exsiccatis mammis, alimentum metueret; ceterum eo, quantum prædicta necessitas patiebatur, corpus fraudauit. Quam verò fuerit Deo grata mulieris pœnitentia, ex eo licet existimare, quod dum effuso lacrymarum imbri, acrique dolore icta, verberibus corpus accipiebat; eam dæmon huc, illuc vehementer impulerit, & arreptum è manibus flagellum extorquere contenderit: sed eo ipso quo illam abstergere dæmon nitebatur, in pœnitentiæ proposito confirmauit magis. Quidam porro sacerdos Indorum mores apprimè callens, affirmavit huius Societatis Sodales, vsque adeo reliquis Indis morum & elegantia, & pietate superiores esse, ut non ex eadem natione, sed è diuersa penitus videantur. Postquam Onrate (id nomen mons habet) compressum cinerem euomuit, quo tam magnum terræ spacium, ut in superioribus annuis litteris diximus, operuit; curæ semper nobis fuit portenta singula, euentaque prodigiosa mandare litteris: tum quia per se stupenda, tum etiam quod ab horum augmento, decrementoue, muneris nostri in proximos, utilitas maxime pendet. Iam igitur exigui supererant acerui cinerum, vento-

R 5

cuius

rum flaru huc illos, illucque ferente, iam sese cla-
 riorem sol aureus ostendebat, radijsque apertiori-
 bus terram fouens, occulta quoque illam virtute
 mirum in modum fecundabat: iam ipsa ferax,
 latioris spei plenis hominibus, pollicebatur vbe-
 riores fructus: iam oppressi ciuium animi reui-
 uiscentes, ac respirantes, labores exantlatos, tole-
 rataeque calamitates (vt est in rebus secundis ad-
 uersarum immemor humanus animus) obliuioni
 tradebant; cum diuina maiestas semi quadrantis
 spatio non amplius, horrendo terramotu hanc
 ciuitatem solo æquauit. Quoniam vero res est in-
 audita, & propter stupenda euenta memorabilis,
 eam aliquanto latius persequemur. Die illo, qui
 virginis sanctæ Catharinæ martyris festum præ-
 currit, hora prima & dimidia, post meridiem, tam
 vehementi motu concussa tellus intremuit, vt an-
 teditam stragem ediderit. Nunquam tam vehe-
 mentibus motibus in hoc Regno, in quo crebro
 terra concutitur, intremuisse fertur: concussa
 trecentarum leucarum spatium longitudine, lati-
 tudine vero septuaginta, eodem ferè momento.
 Is vero terræ motus tot editos, ac præcellos mon-
 tes, tamque stupendo fremitu subuertit, vt passim
 exanimes pænè homines, nec se pedibus sustinere
 valentes corruerent, nec alium quam decreto-
 rium diem, iam iam mortalibus aduentare existi-
 marent. Indi complures, quorum apparent nulli
 miserandum in modum, præcipitatis montibus
 intercepti, obruti sunt; manantes aquarum riu-
 ductusque, ex quibus huius Regni alimentum, &
 victus extremum in modum pendet, obducti
 multi, exhausti plures: graue sanè damnum, cui-
 que eo difficilior obuiam iri possit, quo plus In-
 garum

garum laus & potentia, in hisce aquæ ductibus, ab altissimorum montium iugis deriuandis, enituit. Illud porro mundi huius vicissitudinis & inconstantiae præbeat spectaculum, valles scilicet quas paulo ante, vt hortos amœnitate plenissimos, oculus non satiaretur intuenso, steriles iam, delapsæ terræ copia obruente, factas. Ferunt præterea fluuios aliquot per diem integrum interclusos. Nec minus stupenda sæuientis maris tempestas; contremuere vndæ, ingentique fragore opposita littora velut indignabundæ præterfluentes, vnus leucæ interuallo, magna hominum iactura, agros cõplures inundarunt, nec semel tantum: ter fertur extra præscripta sibi littora defluxisse mare. Mira ferunt ex hoc trino maris fluxu, refluxuque contigisse varijs in locis. Id vero quod in portu Pisco contigit, non est absimile miris illis euentis in mari Rubro, Iordaneq; fluuio editis. Distat hic portus à Lima leucas quinq; & triginta, frequentatur à viris nobilissimis; cum primum igitur contraxit sese mare, vt sunt ad nouitatem propensi mortalium animi, confluxere vndique multi, quid rei esset spectaturi, ignari satis futuri euentus; extemplo igitur citissimo, vndisonoque impetu in sese contractum mare, oppressas, ac velut in globum redactas vndas, pauore percussis trepidantium animis, late diffudit, ac distendit. Tunc pauore pænè exangues homines implorare numen, lamentis cuncta complere, consilij ancipites herere, nec vllum ab imminentibus vndis effugium inuenire. Res sanè mira; cùm mare, sinistrum portus, dextrumque cornu præterfluens, obuia quæque vnus ferè leucæ spacio inundasset; qua parte obruturum erat cum portu accolas, iam

iam aduentantes, ac imminentes vndas, duarum
 hastarū altitudine suspensas cohibuit, ac in sese, in-
 columi portu, refusum est. Tot mirandi euentus
 testes, quot portus accolæ. Minus feliciter cum
 portu Camana (distat à Lima Leucas triginti &
 ducentas) actum est; ibi enim ex hoc trino maris
 refluxu opulentissimi agri, cellariæ multæ, ali-
 quot æthiopes agasones cum ipsis mulabus, qui
 regebāt, quatuor præterea viri inundati sunt. Ne-
 que mare damni partem aliquam compensaret,
 frugibus spoliatas valles, ingenti piscium multi-
 tudine (inter quos apparebant multi, quorum spe-
 cies nunquam antè hoc in Regno repertæ) coo-
 peruit. Et hæc tolerabilia sunt; illa demum ma-
 ior clades: nam cum vnâ plurima oppida (quo-
 rum fundamenta funditùs auulsa, eiectabat in al-
 tum horrendi terræ motus vis) subito corruerint,
 excitato densissimo puluere, & solem obduci, vt
 noctem crederes; & multos spiritum trahere non
 valentes, suffocari necesse erat. Ex plurimis radi-
 citùs euersis oppidis, tria, quorum iactura maior,
 dumtaxat attingam, ac priùs de Parinacocha. Pa-
 rinacocham Prouinciã frequentant complures
 Indi, abest à Lima Leucas septuaginta, à mari vi-
 ginti, huc ingens clades illata: sexcentas ferunt
 ædes solo æquatas, quindecim, non amplius, reli-
 ctas, easque tam malè affectas vt nulli sint vsui.
 Dominicanę familię conuentus funditùs euersus,
 obruto Superiore. Ob tantū ac tam spissum com-
 motum puluerem, parū abfuit, quin spiritu inter-
 cluso, homines animam agerēt: quamuis enim op-
 portunè egressi ad impluuium, periculum ruen-
 tium tectorum, parietumque euaserant; tamen ex-
 citati discrimen pulueris effugere non potuere.

Iam vero altissimi montes tam horrendo fremitu corruerant, ut ruere cælum ipsum crederent. Tam malè vastati agri, ut accolæ omnes existiment oppidum relictum iri. Triginta homines desiderati, quâ ruentium saxorum attritu fracti, quâ euersis parietibus tectisque intercepti. Memorant flumen Ocam, satis capaci alueo, quâ in mare influit proximè, per biduum exsiccatum. Nec minori calamitate Arica affecta. portus est celebris, à multisque primarijs, ac diuitibus accolis frequentatus, is vero dissitus est à Lima Leucas viginti & ducentas; hic portus trino illo mæris refluxu profus obrutus, submersi homines supra quatuor & viginti, submergendi omnes, nisi rem subodorati, ad tutiora loca confugissent. Rerum familiarium, agrorumque iacturæ summa aureorum decies centenis millibus æstimatur; nam eorum qui euasere multi, nihil secum præter vestem, alteri hac etiam destituti. Clamor vero & gemitus omnium, non qualis in urbibus ab hostibus euersis, cum militaris hostilisque clamor omnia ferro flammæque miscet, sed qualis in extremo mortali die futurus. Nec enim (ultra quàm oratione exprimi queat) horrifono fremitu sæuiens mare, aquarumque moles, velut altissimos montes attollens, fumumque expirans, vniuersas aedes, & obuia quæque inundans effrenata licentia, aliud spectaculum intuentibus exhibebat. Nihil tamen Arequipensi ciuitate luctuosius, hîc enim ut diximus, ingenti illius terræ motu ciuitate solo æquatâ, ita nutabant omnes, ut ne septem quidem inter se connexi, in genuaque defixi possent consistere. Inuasit eos timor ingens, ne terræ faucibus patefactis exorberentur. Excitatus

puluiz

puluis ita lucem auferebat, vt velut in tenebris iacentibus nec loco mouere sese, nec respirare quidem liceret interdum. Vbi verò dissipatus puluis, non pristinam illam ciuitatem, sed funebre quoddam spectaculū intuentibus lux ostendit. Mirari omnes stupore defixi: circumspectare omnia, nihil occurrere præter obiacentes, congestosque hinc lapides, illinc contracta ligna trabesque, istius ianuas fenestrasque discissas, passim contusos homines, passim percussos, passim obrutos, miserabiliter opem implorantes, passim interfectos: quadraginta affirmant, præter eos, qui non dum reperi erant, interiisse. Tunc verò nostri adire, alteri nosodochia, carceres alteri, aliaque loca, reliqui opem ferre oppressis, fauciorum confessiones excipere: auditi sunt præter faucios etiam multi, prolapsis ex oculis lacrymis internum dolorem animi exprimentibus. Tanta hac calamitate afflictis, oppressisque, fluuius opposita ingenti terræ mole à monte Onrate deuolutæ, per horas sex & triginta interclusus, trepidationem auxit. Tunc timere omnes, ne repressis ac congregatis vndis, fluuius super ripas effusus popularetur agros; qui tam graui damno obuiam irent, qua ratione possent deligere. Verum vbi horrendo murmure oppositam terræ molem fluuius dispulerat; solitoque aluico in urbem aduentabat, primùm Indas proxime ciuitatem commorantes stupor ingens defigit; deinde credere inopinato pauore percussos, non ripis conclusum amnem defluentem, sed extra eas effusum, insolitum fremitum edidisse. Ad hæc clamorem ad cælum atrollere, lamentari, eaque vociferari, quæ solet innata imbecillitas muliebribus animis in tali præcipue euentu subijcere, ex-
 templo

templo omnes ad clamorem sublato, somno exciti (nondum enim aurora illuxerat) pænè nudi ad forum concurrere, plorare, trepidare, nec vlllo loco consistere, ignariq; quo fugerent, huc, illucque cursitare. Nullus à metu liber, etiamsi multum metus illos superuacuos existimabant, quod esset fluminis alueus tam capax, vt ne per duos quidem menses interceptum posset (quod ipsi metuebant) obruere ciuitatem, vsque adeo timore correptos animos, incredibilis opinio mali perturbat. Sane non alius tumultus hominum, non alia trepidatio, non alius præceps concursus aliorum super alios, altissima quæque loca, editioresque montes queritantium, quam si vetus illa immineret vniuersi mortalibus inûdatio. Auditi à nostris eo die fere omnes, vel vnum dumtaxat peccatum, quo materiã præberent absolutioni, confitentes. Hæc in ciuitate: iam vero extra illam haud minor calamitas, passim terræ ingentes hiatus, maris fluxus refluxusque magna agrorum ruina; & vt alia incommoda fileam, viginti homines vndis absumpti. In hoc funebri luctuosoque die, visus Dominus sua in nostris tuendis prouidentia vsus. Nam cum aliquot Patres in Rectoris cubiculum conuenissent, deque constitutis in hac Prouincia obseruandis agerent, facilis, vbi terra concutiebatur, paruit ad tuta loca exitus: quod si quisque in suis essent cubiculis, ægre, nec sine vitæ discrimine possent euadere; nam & circa erecti parietes primis terræ impulsibus corruerunt, & ipsis alia via euadere non liceret. Hic vero non est prætereunda silentio nostrorum in nostros charitas, nam ex Iulienfi sede vrbèque Cuschenfi, quâ potuit breuitate temporis, inopiæ comœatu necessario

fario

fario, aureorūque copia peropportunè subuentum est. Illud verò ruinæ ciuitatis videtur cumulus; ciues namq; rebus familiaribus, ac omni vitæ præsidio destitutos, nullis ad propulsandas iniurias cæli tectis, tanta vis aquarum præter consuetudinem excepit, vt, quod parum supererat, ineptum prorsus vsui reliquerit. Neque id solum damni inuectum est, verum etiam illud grauius quòd assiduæ pluuiæ nequaquam ædes extrui patiuntur; ex quibus omnibus huc vsque memoratis, facile datur intelligi, quantam hæc quondam opulentissima ciuitas iacturam perpeffa sit.

COLLEGIVM CHI- TENSE.

QVÆ litteris mandanda fuerant ex hoc Collegio, quo minus missa nobis fuerint, causam crediderim loci interuallum: distat enim ab hoc Cuschemsi Collegio leucas quadringentas & septuaginta. Referam tamen pauca, quæ ex varijs litteris deprompsi. Congregationem frequentant Sacerdotes maiori in dies cura, & spes non tenet fore, vt in eam conueniant omnes. De illorū profectu id dicam: qui congregationi nomen dedere, ita suum munus obire, vt nostris Sacerdotibus haud absimiles videantur. Quidam præcipuè Sacerdos præterquam quod gregem suum saluberrimo doctrinæ cibo pascit, cura quantum dici potest maxima, per ardua satis iter pedes ingreditur, vt dispersas oves cælestis doctrinæ pasturificiat; composito priuata eorum lingua catechismo, complures infideles instituit, & sacro fonte lu-
Arat.

strat. Viget præcipuè in Indis huic Sacerdoti creditis, pietas in magnam matrem: ab his instituta Sodalitas Virgini dicata, vltroque ab illis in eam multa, nec aspernanda dona collata. Maior labor in sanandis mixtorum hominum (qui ab Hispanis patribus, Indisque matribus ortum habent) moribus: quippe quibus deprauati mores ab origine, fere in peccato genitis, & enutritis, capimus tamen ex illis nonnullos fructus. Quidam ex his ab impudica femina variè tentatus, superior exiit: alius cuius haud sani mores, cum fortè iter faceret, prolapsa equo in profundum præcipitatus, terque quâ super, quâ subter deuolutus, Virginis implorato auxilio liber euasit, & laudabiliorem viuendi rationem instituit.

Q V A N T V S verò ex Indis, congregationis præsertim, fructus existat, licebit existimare ex aliquot exemplis. Mulier cui magnæ curæ erat eterna salus, multis cum à domesticis iniurijs affecta, tum maximè quod grauius ferebat, ab Indo, quâ precibus, quâ illecebris, quâ minis sollicitata, semper sibi constitit, affirmans cū in Dei ignoratione versabatur se dominum offendisse, nunc verò vbi sibi per conciones Patrum diuinum lumen illuxerit, passuram potius sese discerpi, quàm scelus admittere. Alia cum domum suam repetens inuenisset in ea veneficum accersitum, nec eum ab eo crimine auocare potuisset, ne fieret eius particeps, noctem illam extra domum traduxit. Altera cum animaduerneret à viro suo seruandam retineri Hispani pellicem, nec eam Indus vllis rationibus dimittere vellet; non prius domum adiuit, quàm vltro pellex ab ea discessit. Sodalium feruor ex pœnitentiæ & Eucharistiæ usu, ac præpara-
tione

tione disci potest. Multi enim ad hanc non prius
adeunt, quam diem integrum ab omni cibo, po-
tuque abstinuerint; alij præmittunt corporis ver-
berationem, alij insomnem noctem in lacrymis
& singultibus traducunt. Quidam ex his in ani-
mum induxerat, ab hoc cælesti cibo diu abstinere,
sed cum sibi per quietem sacrosanctum Eucha-
ristiæ mysterium apparuisset, illico sententiam
mutauit. Mulier cum à dæmone horrendis per sa-
pe spectris terreretur, nec locum ullū quieti nan-
cisceretur, per sinceram peccatorum confessio-
nem penitus liberata est. Altera in extremo vite
discrimine confessionem differebat; ea verò cum
per noctem in animi deliquio esset, penitusque
exanimis videretur, innumeris humani generis
hostibus circundatur, eam in infernum detrudere
nitentibus: in tantum proinde adducta discrimē,
virginis opem implorat, quam experta, statim
confiteri decreuit. Simili quodam viso, Indus ad
confessionem commotus est; is namque per som-
nium videbatur sibi manibus, pedibusque ligari,
vt mitteretur in tenebras exteriores; cumque
supplicij causam quadragesimæ prætermittam
confessionem audisset, pauore plenus, precibus
tempore ad pænitentium impetrato, vni è nostris
confessus est. Mulier, quæ iam extincta ab omni-
bus habebatur, subito erexit sese, arreptoque fla-
gello corpus acriter verberauit; tunc mirati om-
nes, rogare quisque quidnam ei contigisset per il-
las quatuor horas, cum penitus exanimis ab omni-
bus iudicabatur: tunc illa lacrymis profusis hortari
præsentes, ne singularis Passionis Christi bene-
ficij immemores essent, neue ab illo pro nobis sus-
ceptos labores irritos facerent, sibi Christum do-
minum

minum illo tempore, quo spiritu destituta videbatur, à planta pedis vsque ad verticem capitis vulneratum occurriffe; socordiam, ingratumque animum, tantique immemorem beneficij increpuisse; proposuisse ante oculos totius vitæ perpetrata crimina; arctam rursus viam ad salutem, quam pauci tenerent, latam ad perditionem, quam multi; se denique, quod latam viam esset ingressa, damnatum iri: quod cum ipsa animaduerteret, effusa in lacrymas, opera precibusque cælestium mentium, duorum præsertim infantium Angelico more resplendentium (hos ipsa à proprijs parentibus destitutos, lacte suo nutrierat) exorauit, vt vitæ tempus ad pænitentiam prorogaretur. Mõnentibus igitur infantibus, ne tantum beneficium oblitteraret, oblata species discessit: quam integri, castique mulieris mores ab eo die consecuti, haud quaquam falsam inanemne oblatam speciem declarant. Alias multas species eidem feminae constat oblatas, eam præsertim, qua mulier paucos ante dies vita defuncta illi sapius occurrebat, quæ ob non solutam pecuniæ summam, in locis expiatorijs detinebatur. Fuisse veram speciem argumento est, quod cum accersitus sacerdos è nostris, domum eius adiret, prædixit mulier Patrem, sacro peracto, Angelorum cœtibus circumdatum, virginibusque sacris comitantibus, aduentare; quorum primum Patre aduentante verum compertum est: secundum, & ob miram Patris pietatē, & quod diei illius, qui sancto Michaëli sacer, actiones suas superis mentibus; & quod sabbatum erat, sacris etiam virginibus, vt ei mos erat, dicauerat, longè est verisimile. Hic idem sacerdos, missus ad Indos, qui nos vocant, yberrimos

vberimos cepit fructus; excepit complures hispa-
 norū confessiones, perque summas difficultates,
 quā pedes, quā eques inter ingressus, catechismo
 in perdifficilem horum infidelium linguam tra-
 ducto, ingenti labore, Indos omnes instituit,
 multāque distribuit, & ad templi cultum, & ad
 Indorum vestitum. Multa ædificata templa; su-
 perstitutiones complures penitūs extinctæ; in tantis
 erant omnes christianarum rerum ignorantia,
 vt Pater neminem, præter vnum aduenam Indum
 fruendo cælesti conuiuio idoneum iudicaret. Hic
 cum post auditam confessionem, iuberetur à Pa-
 tre ad Sacramentum accedere, gratias Patri ha-
 bens, inquit; Ipse ego nocte præterita effusus la-
 crymis à Deo deprecatus sum, vt tē Pater in hanc
 mentem impelleret: postquam enim semel natu-
 ræ concessi, non possum segniter salutem meam con-
 sulere; rogatusque à Patre quoniam tempore vita
 functus esset, Vere, inquit, Pater multos iā annos
 è viuis cessi, integrāque diem ante tribunal sen-
 tentiam auditurus adfui. Ceterum cum multi-
 tudinem examinandi adessent, iudicium meum in al-
 terum diem productum est; interim iussus sum in
 carcerem conijci, ex quo tenebræ inferni caue-
 næ igni tremendo perustæ cernebantur; cumque
 iterum ad iudicem reuocatus essem, admittensque
 scelera omnia mihi ostendisset, me grauitè repre-
 hensum iussit ad vitam redire, cognatumque me-
 um, sese in peccatorum cæno volutantem, accer-
 siri. Factum itaque est, vt eadem die, & ego red-
 irem ad vitam, & ille graui morbo correptus de-
 migraret. In altero oppido complures reperit In-
 dos, quos ne Religionem Christianam suscipere-
 rent, ea ratio retardabat, quòd omnes quos Chri-
 sti

spanos esse animaduenterant, annum Hispanis vectigal cogentur exsoluere: at ubi Pater pollicitus est daturum sese operam, ut quotquot Christianis sese adiungerent, ab ea lege eximerentur, ingenti animi lætitia consensum omnes præbuerunt; idque vnum spectant, ut quod Pater pollicitus est, præscripto Senatus Regij confirmetur, quod si fiat speramus vberimos fructus: patet enim, his ad fidem conuersis, latissimus campus ad innumeras nationes, in umbra mortis iacentes. Hinc ad vallem de la Loca transgressus idem sacerdos, fructus ex concionibus cepit opinione sua vberiores. Multi enim à superstitionibus vtrò auocati, exceptæ confessiones totius vitæ complures, insignique in Virginem matrem pietate imbuti fere omnes, labori respondebat eorum amor, & cura, qua rebus nostris consulebant, nihil ad vitum necessarium passi desiderari. Hinc via satis ardua; visurus sacram Virginis effigiem miraculis insignem, præaltisque in montibus locatam Pater migravit, cuius iucundissimus adspectus, fructusque ex confessionibus decerptus, labores itineris compensauit.

SEDES IULIENSIS

OPPIDVM hoc singulari Dei benignitate in dies refert lætiores fructus. Indorum pietas hoc anno maximè adauctâ, eorum ad templum concursus frequentissimus, ut singulis horis conspiciantur in templo complures. Nec vllum iam in hoc oppido, cum in finitimis appareant multa, superstitionis vestigium; quam ad rem puerorum

S

domi

domi nostræ educatio, institutioque maximè conducit, qui siue matrem, siue Patrem in superstitione deprehenderit, illico nos certiores faciunt. Est hic Societas sanctissimi pueri I E S V instituta, quæ præterquam quòd à sexcentis Indis probatæ virtutis frequentatur, adacta est ijs rebus, quæ ad externum cultum pertinent; vexillis additis, cereis candelis, argenteis sceptris, pueri I E S V simulacro, tam elegantur ornato, vt si omnia numerem, in eis parandis tria millia aureorum in sumpta sint. Sabbathis quibûsque concurrunt omnes, audituri purissimæ Virgini dicatam missam; ea vero peracta, auditæque concione nosocomium petunt, tantæque animi alacritate inferuiunt, vt intuentibus deuotionis affectum excitent. Bina præcipuè festa celebrant per singulos annos, Circumcisionis scilicet, & Natalis Domini, quibus diebus cælesti se pane reficiunt Indi mille ducenti. Vbi autem summa celebritate festum peractum est, conueniunt ad forum duo millia pauperum, quibus hæc Societas, tam lautum præbet conuiuium; vt vel Hispani tantæ liberalitati significandæ, paria sibi verba deesse fateantur. Ex multis, quæ possem referre, placet significare, quàm strenue sese, vt summa mentis integritate sacrosanctum puerum I E S V M excipiant, comparare soleant: multi nouem dies ieiuni traducunt, necnon alij ab omni cibo, præterquam à pane abstinere, cilicijs corpus affligunt verberibusque cædunt: alij integros dies precationi, quæ commentando, meditandoque de rebus diuinis, quæ cum Domino colloquendo, vt fert cuiusque captus, vacant; consulunt præterea eos, qui sibi sunt à confessarijs, vt dirigantur, vt
que

que ex Domini Aduentu fructus percipiant vberiores, offerri missæ sacrificium postulant. Quantum vero ob hæc in Indos officia, nostros humani generis hostis pertimescat, ex eo, quod subijciam, licebit colligere. Indus quidam cum dæmone iam decem annos arctissimam amicitiam inierat, ab eoque semper vt perpetuo comite, humana specie, opem multas ad res acceperat: incidit in morbum, vtque animaduertit dæmonem, ne quod opus exerceret virtutis, diligenter curare, resipuit, nouitque animi discrimen manifestum; inuito igitur dæmone, quamuis comitante, ad Iulienne oppidū proficiscitur, cūmque ad insigne crucis Indum aduentare dæmon cognouit, multa Indo minari, conqueri antiquam familiaritatem, ac muris obsequijs confirmatam amicitiam dirimi, innumeræque beneficia obliuione obrui. Quem cum Indus sibi ad populum comitem admitteret, negauit dæmon, esse sibi, vt illuc ingrederetur facultatem, vbi tot habebat, & sibi, & instituto suo aduersarios, qua manifesta confessione mirum in modum Indus in proposito confirmatus, & ritè peccata confessus est, & à dæmone illum sæpius vexante, facto signo crucis ac dulcissimo I E S V nomine inuocato, liberatus.

H v i v s Prouinciæ Gubernatoris rogatu, missi sunt è nostris aliquot, vt eum in expediendis Indis Potosium ituris iuuarent; nec frustra susceptus labor, nam præter complures Indos partim quòd infirmi, partim quòd senes ab eo numero exemptos nostrorum opera; audita sunt confessiones quinquaginta, centūque Indi, ne turpi pellicatu contaminarentur, matrimonio coniuncti: ducen-
ti præterea infantes Christiani facti, nec non ali-

quot etiam adulti. Subuentum etiam compluribus, qui necessario ad iter comœatu indigebat.

TEMPLO R V M augmentum hoc anno maximum, quatuor absoluta satis capacia. Principis templi ornatus & elegantia primas tenet; ornatum instrumentis musicis tam suauiter sonantibus, ut eis toto Peruano Regno nulla paria reperiantur: templi vero reliquus ornatus, talis est, in quo, si organa musica numeres, comparando quindecim millia aureorum impensa sint: res etiam huius oppidi quæ ad victum corporisque commodum pertinent, nostrorum opera suis gaudent incrementis; nam & fontes varias in partes dispersi sunt, ut eorum utilitas promanet ad omnes, & molendinum factum à nostris, cuius quod ante nullus in hoc oppido fuisset usus, maximo cum labore terebant. Inducti etiam à nostris Indi, ut perdomitis iuuenis terram proscindant, quare duplo maiori fructu magno se labore exonerarunt. His igitur de causis populus hic, & numero in dies auctior, & virtute.

PANAMANA SEDES.

INITIO quadragesimæ missus è nostris cum socio sacerdos vnus in vicina oppida, utque magna omnium gratulatione exceptus, ita & lucro; nam & tam frequens ad conciones concursus, tantusque ad confessiones accedentium, ut vel temporis momento quiescere Patrem non sinerent, essetque necesse confitentibus audientibus, diebus noctes coniungere; & multis triduum ut audirentur expectare.

M V L T A

MVLTa libidinū incendia, concubinis expulsis, prorsus extincta. In alio oppido opera Patris effectum est, vt cum illius accolæ Prætoris vi grauitè oppressi, de illo deserendo cogitarent, à proposito desisterent, & Prætor deinceps magis comem, & affabilem in eos animum indueret; necnon ab eo impetrauit, vt religiosi, quem in vincula coniecerat, causam ad suum Superiorem remitteret. Idem Patris admonitu mulieres impudicas, quas, dum aditus ad infideles Indos parabatur, inter Hispanos milites vagari permiserat, prorsus ab illis propulsandas constituit, militibusque ipsis non sine fructu significatum, ad penetrandas nouas regiones quanti referat, diuino conciliato numine, iter suscipere.

M I S S I O T V C V - M A N A.

TVCVMANA missio, & sanctæ Crucis cum duæ sint, multas sub se cōtinent missiones, in quibus qui saluti proximorum operam nauant, hi profecto & veri nostræ Societatis sunt alumni, & spiritus Apostolici insignes imitatores. Discurrunt bini diuersa per oppida, ingenti animorum lucro. Cum Cordubam (nomen est ciuitatis) itinere satis laborioso contenderent, inciderunt in oppida, quæ, quòd parochi in illis desiderarentur, subsidio operaque nostrorum extremum in modum indigebant: itaque strenuè opera illis nauata est, vt sexcenti eoque amplius, ferè omnes vniuersæ vitæ peccata confitentes auditi fuerint; eo maiore necessitate, quo Indi doctrinæ Christianæ

magis ignari: iucundum sanè Angelis spectaculum præbebant summa pietas, alacritasque qua iuuenes, senes, viri, mulieres, omnisque ætas incensa conciones audiebant, confitebantur, sequè singulis fere noctibus flagellabāt. Vbi vero ventū ad ciuitatem, albis illis diebus quibus Indorū effusa libido, eos in grauissima flagitia detrudit; supplicatione per celebri instituta, concionibus cantilenisque diuinis recitandis eluso die, innumeris peccatis aditus interclusus. Huic tam felici exordio, quadragesimæ progressus cumulatissime respondit. Diuinum Euangelij semen mandatum tam Hispanis, quàm Indicis agris, eos fructus dedit, vt fere noctes omnes verberum sonitus feriret aures, & tracti ab imo pectoris gemitus per plateas sese acriter cædentium, vel duros quoque homines commouerent. His ipsis operibus promouendis maximo fuit adiumento Gubernator, eiusque familia; cuius cum pietatis ardor pijs exercitationibus obeundis emicaret in primis, nullus tam erat excors, qui talem ducem imitari renueret: vsque adeo verum est, quibus moribus gubernatores imbuti sint, eisdem populum affectum esse. Multæ igitur inimiciæ magno huius Regni detrimento contractæ, & gubernatoris opera, & Patris, cuius res Deus feliciter promouet, oblitteratæ sunt. Nec minore cura Patres alij, qui in ciuitate sancti Iacobi remanserūt, salutē proximorum procurarunt. Tantus namque perceptus est ex nostris ministerijs fructus, tantæque cum laude in illis versantur, vt Episcopus concione ad templum aduocata, multis vrbis iacturis enumeratis, affirmauerit, nullam adeo grauem ciuitati posse contingere, nec quam ipse magis per-

timeſceret

timefceret quàm si nostri, vt ipse subaudierat, urbem desererent. Et vero præter complures exceptas confessiones, illum vberrimum fructum duxerim, quod ita timore Domini coercentur, vt nullis illecebris, nullis minis, nullo vitæ discrimine induci possint, vt quidquam Christiano nomine indignum, animiue castimoniam commaculans, turpiter admittant. Multæ sunt feminæ quas non sæuissima verbera, non aperta vitæ discrimina, nõ strictus a perditissimis hominibus gladius, iam iamque pectori iuguloque imminens, vel ad peccatum pellicere, vel, à salutari proposito dimouere potuerint. Cuiusdam viri animum perterritabat sæpius, vexabátque minùs honestus amor, cumq; se ægrè toties in se insurgentes incurfus sustinere posse animaduerneret, cuidam è nostris vulnus aperuit, pollicitus, si eo releuetur, aureos centum pia in opera infumendos. Hunc igitur cum Pater bono esse animo iussisset, perque nouem dies pro morbo sedando, rem sacram viro præsentem obtulisset, Dei Virginisque ope ita eum persanauit, vt beneficij memor promissa luculentè expleuerit, & nostros summa beneuolentia profecutus fuerit. Nec minor omnium in nostros beneuolentia & liberalitas, vt non modo nobis necessaria suppetant, verum etiã supersint, quæ pauperibus erogentur. Excursum etiã ab eisdem sacerdotibus per loca finitima, itumque ad Indos inter binos fluuios, quorum alterum Salsum, alterum Dulcem vocant, commorantes, ingenti omnium vtilitate. Expiati per confessionem ad mille quadringenti homines, quorum alij nunquam ritè, alij nouem iam annos peccata non confessi; quibus eo difficiliùs medicinæ adhiberi

adhiberi poterat, quod vernaculi sermonis perito
 Parocho caruissent. Quos turpis libido coniunxe-
 rat, Matrimonij legibus coniunximus, qui vrid
 præstarent, à Parochis induci nunquam potue-
 rant. Tucumanæ missioni finem imponat admi-
 rabilis, viri Tucumanæ vrbs accolę in nostros, præ-
 cipue in P. N. B. Ignatium pietas & obseruantia
 quam quidem ostendit semper multis, ac vti
 in nos officijs. Extruit in oppido sibi commissum
 optimum sane templum, quod ideo nemini dicas
 quia est in animo Patri nostro, cum in sanctorum
 numerum ab ecclesia referatur, dicare, ab eodém-
 que pietatis fonte manuit, vt suo filio B. P. Igna-
 tij nomen indiderit, vt cuius esset insigni nomine
 decoratus, eiusdem clara facinora imitaretur, cu-
 ius rei cupidus, iussit infantem quadragesimo ab-
 ortu die, Domino in templo nostro dicari: is igitur
 & nostros in hac ciuitate commorantes su-
 stentat, & pollicetur Societatis Collegio victui
 necessaria vnus suppeditare, nec filijs alios reddi-
 tus vtiliores exoptat, quàm Societatis in eis insti-
 tuendis curam.

M I S S I O A D R E G I O -
 N E M S A N C T Æ C R V C I S.

DV o maxime efficiunt, vt nouem è nostris
 tametsi ingentibus pressi incommodis, in
 hac missione perseuerent, nempe mira paucitas
 aliorum sacerdotum, & magna spes fore vt ad in-
 numeras gentes, à quibus, vt compertum est, in-
 teriora loca habitantur, aditus aperiatur. Præsens
 igitur fructus, & spes futuri, ingentia incommoda
 tole-

tolerabilia reddunt. Fructum ex priuatis litteris hunc excerptimus. Data confitentibus aures, Indis præsertim, ingenti lucro, exceptæ vitæ vniuersæ confessiones septingentæ, tam quòd nunquam omnino, vel certe non ritè confessi; quam maioris profectus causa. Moribundus Indus, cùm cui confiteretur, adesset nemo, in hunc modum locutus alteri Indo est: Morior amice, audi quæso peccata mea, eaque in hoc rosario notata Patri defer vt ea auferat. Iam vbi capitis fluxu ita laborarunt Indi, vt multi interirent, ingens fuit nostrorum labor, sed fructus item vber & solidus; morbo namque sequente, vrgentèq; conscientia, in claro vitæ discrimine, cum vehementis significatione doloris, sincere ac integre mortifera cordis vlcera detegebant. Tam singularis porrò est ipsorum in nos affectus, deque studijs proximorum iuuandorum opinio, vt nullis libentius, quàm Societatis nostræ hominibus conscientia, & salutis suæ curam credant. Cum mulieres quædam infirmæ, vnum è nostris confitendi causa accersendum curassent, nullusque è Societate adire posset, alterius familiæ Religiosus accersitus est; quem cum illæ intuerentur, confiteri renuentes, clamare Paita aipota, hoc est, volo verum Patrem; & quia nostri, quòd ipsimet ægrotarent, adire has non quirent, contendere ipsæ vt ad eadem nostram deueherentur, donec è nostris vnus, tamen aeger, tamen vtut potuit, earum pio attractus desiderio auditum iuit. Facti sunt hîc Christiani amplius sexcenti, quorû erant adulti octoginta. Matrimonio consociati centum septuaginta quinque; nonnulli ex infidelibus vltra altissimos & gelu frigoribusque rigentes montes comorantibus

comorantibus

morantibus fidei Christianæ præceptis imbuti.
 Itum etiam ad ciuitatem sanctissimæ Trinitatis,
 cuius missionis vtilitatem priusquam referam, de
 hac vrbe condenda, conditæque pauca præmit-
 tenda. Nobilis Ioan. à Mendoça Prouinciæ huius
 delectus Gubernator, cum certis comperisset ar-
 gumentis, altissimis, ac prægelidis montibus si-
 peratis, patere aditum ad complures nationes:
 gregio pertinacique animo, cum centum milia-
 bus hanc sibi Prouinciam suscepit: vt clarissimum
 Euangelij lumen in illas nationes primus inueho-
 ret; profectus igitur vt decreuerat, multis labori-
 bus itineris exantlatis, ad eum locum peruenit,
 qui & lacubus, & montibus claudebatur. Locus
 & ob nimium humorem insalubris, & quod in-
 tegrum annum culicibus infestus sit inhabitabi-
 lis; ceterum ijs partibus, quæ excoli possunt, adeo
 fertilis, vt & singulis mensibus semen suscipiat, &
 fructus referat: hunc igitur, quia nullus vrbi con-
 denda magis idoneus occurrebat, elegerunt; con-
 ditur vrbs, nomen imponitur sanctissimæ Trini-
 tatis, vt tam faustû nomen protegeret ciuitatem.
 Gubernator igitur, quia prouinciæ sibi commissa
 administratio id postulabat, relictis vrbs præsi-
 dio quinquaginta militibus, quibus filium præ-
 fecerat, ad S. Laurentij ciuitatem reuersus est. Ad
 hanc igitur ciuitatem cum P. Angelus peruenisset
 superassétque ingentes difficultates, ac manifesta
 vitæ discrimina effugisset, tredecim tantum mili-
 tes, eosque squalore ac macie penè confectos in-
 uenit; obierant enim reliqui septemdecim mor-
 bo; viginti, dum victum quærunt, ex insidijs In-
 dorum sagittis transfixi; quâ victoria insolenter
 efferari Indi, in urbem impetum fecerant, flam-
 misque

misque eam incendentes, Hispanos telorum nim-
 bis petierant. Contigit illud in hoc congressu fa-
 ne mirabile; adierant milites templum, flammis
 ardentem educturi effigiem, cumque multis pe-
 terentur sagittis, atque innumeræ circa ipsos vo-
 litarent, nec vnâ fauciati sunt. Tum etiam cælo
 antea sudo ac sereno, tanta vis aquæ defluit, vt &
 flammæ extingueret, & Indos funderet; quibus
 peractis illico pristina tranquillitas redijt. Hispa-
 norum rebus in tam arcto positis, atque urgente
 insuper fame, vbi Pater cum nouo militum præsi-
 dio subuenit, territi ac fugati Indi, respirandi lo-
 cum nostris dedere. Paulo post autem maturo
 consilio relinquendam ciuitatem, quando defen-
 di non possit, communiter est decretum. Inde er-
 go tribus mensibus in itinere consumptis, haud
 dubiam persæpe numinis opem expertus, inco-
 lumis Pater cum reliquis in hanc ciuitatem per-
 uenit; quo sanè tempore vsus est in milites officio
 veri patris, eorum necessitatibus, tam quæ ad cor-
 pus, quàm quæ ad animum pertinent, consu-
 lendo.



P R O V I N C I A M E X I C A N A.

SEPTEMDECIM Sedibus nempe vnica Pro-
 fessa domo; Collegijs septem; quinque Resi-
 dentijs; tribus Missionibus; & Alumnorum Se-
 minario, nouæ Hispaniæ Prouincia Socios aluit
 septem & octoginta supra ducentos; Sacerdotes
centum